



**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||  
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,  
Locis,|| Liber Vnvs.||**

**Thyraeus, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

**VD16 T 1247**

De Ratione Pvgnandi Contra Spiritus, qui certos homines persequuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

sipiscant, vindicanda delicta: quando etiam in amicos suos graui-  
ter animaduertere Deum cognoscunt.

18. Addeditis, aliquando nec malum eorum, qui molestias sus-  
tinent, nec tam h. rum quam aliorum, quod exspectari potest  
bonum, sed Ministrorum delicta, qui Demones sedibus his proscri-  
bere tentant, in causa esse, cur si iusta haec machine adhibeantur Qui  
in oppido Schiltach sibilo molestus fuit. oppidumque tandem incen-  
dit (de quo Thesig. cap. 19.) Exorcismos contemnit; quod Ex-  
orcistae furti, sacrilegiique criminibus essent infames. (Vide Carda-  
num lib. 19 dn subtilitate) Quemadmodum in rebus aliis; ita in hoc  
arduo demoniorum spiritus exigendi negotio, haud parum pos-  
tum est in causis agentibus.

### NOTATIO IN SEQVEN. tia Cavita.

**H**actenus prosecuti sumus Modos, quibus Loca  
per se infesta, ut vocauimus, secundo capite no-  
stra Disputationis, à Spirituum molestia & infesta-  
tione liberari valeant: discutiendum in posterum erit,  
quibus rationibus homines inuenimus, qui ubique suos  
persequentes patiuntur Spiritus: Sed initio definiendu-  
m, Aliane haec sint à prioribus illis modis. Sit igitur

### CAP. LXXX.

*An iisdem rationibus, contra Spiritus, qui certos ho-  
mines, ubicumque etiam degant, persequuntur,  
agendum sit: quibus opponantur illi,  
qui loca certas infestant.*

1. **D**opropositam Questionem breuis est responsio. Queritur, An ad liberandos à molestiis homines, eos, qui ubiq;  
pariuntur persequentes Spiritus, eadem rationis officia-  
c;s sint, atque sufficiant; quas plurimum valere in Locis  
per se infestis habentur docuimus. Respondatur non sufficer. Ra-  
ti<sup>on</sup>is in promptu est, quia longè alia illorum locorum, quam h. rum  
conditio. In per se infestis spiritus sua quasi domicilia haben<sup>nt</sup>; &  
locorum

Iocorum quidam quasi sunt Domini, & possessores. In his, propter homines, infestis, veluti hospites versantur; & ob id cum ipsis hominibus, quos persequuntur, sedes suas mutant; quas in prioribus illis retinent.

Itaque contingit, ut quamvis forte hoc, vel illo loco prescribantur Spiritus ijs rationibus, quas superius, ad profligandos Dæmones valere diximus, atque *hoc vel illo* loco viventes, qui eos ferre debent; tibi sint, & à molestia liberi, rursus tamen in easdem molestias incident, quam primum aliis locis quibus Spiritus prescripsi non sunt, inueniuntur.

Omnino in posterioribus his locis propositum esse debet, ut Spiritibus non tam ad loca, quam ad homines, quos persequuntur, accessus prohibeatur. Nec enim tam loco um hinc, quam hominum rationem habent Spiritus. Nec nobis igitur tam cogitandum, qua ratione loca reddamus tuta; quam qua ratione, ne hominibus, quibus cunque etiam locis degant, detrimentum afferatur, cantum sit.

Porrò una & simplex ratio haec non est. Et quid mirum? Una non est hominum, qui molestias Spirituum sustinent, conditio. Pro conditione hominum alia atque alia ratio instituenda videtur.

Quotuplex igitur est? Duplex omnino. Quia duo hominum sunt genera, qui persequentes Spiritus sustinent. Vnum improborum, qui ob peccata, in quibus degunt, hanc Spirituum sustinent carnificinam: alterum proborum, qui nullis suis meritis exigentibus pro Spirituum libidine, magno diuinæ prouidentiaz cōsilio ipsorum insultibus expositi sunt. Alia hi, alia illi ratione iuantur. & qua vtrique? Hoc sequentibus examinandum. si tamen id dixerimus prius, rationes quas hic præscribimus, contra malos Dæmonum præcipue Spiritus (qui maximè infesti esse solent) valere.

### CAP. XCI.

*Qua ratione à molestia Spirituum liberi esse possunt,  
qui propter peccata, quæ commiserunt, ipsorum  
infestationes sustinent.*

**F**acillima videtur illa esse ratio; qua, qui propter peccata Spirituum infestationes patiūtu, ab ipsorum se molestia vindi ant expediant se à peccatis, & de liberalitate sibi granulentur. Sienim hoc solo nomine molestias Spiritus ferre necesse

necessæ est, quia peccatis sunt impliciti; nonne si à peccatorum laqueis se expediuerint, soluti erunt spirituum molestiæ & cessabit effectus cessante causa, à qua ille dependet?

2. Principio igitur omnino hi inducendi sunt, ut à peccandi consuetudine desistant, vitamque in melius commutent: sintque seduli in virtutum studio, qui in cœno voluntati sunt vitiorum, quibus in miseram seruitutem spirituum peruererunt.

3. Veruntamen satis hoc non est. Non sufficit à peccandi consuetudine desistere ipsum etiam peccatum (quod in anima suam quasi sedem habet) radicibus extirpandum est. Non enim infestantibus spiritibus nos subiiciunt ipsa tantum, dum perpetrantur peccata; verum etiam habitus, quos postquam perpetrata sunt, in anima relinquent: à quibus tam necesse est animam expurgari, quam ab ipsa peccandi consuetudine desistere.

4. H̄i iam requiritur, & valet dolor de peccatis perpetratis conceputus, vitisque n melius commutanda propossum: & post h̄c sacramentalis Confessio atque absolutio; quam solam secundam tabulam relapsis Deus voluit esse. Et priora illa quemadmodum necessaria sunt; ita posteriora si desint, frustra exspectatur peccatorum veniam; frustra à Dæmonum infestationibus libertas. Prætermittendum nullum, assumenda omnia, & singula.

5. Et hæc quidem omnia ad spirituum horum molestias tollendas omnia sunt nec satis. si ad ipsa accedit Corporis & sanguinis Domini, in venerabilis sacramento perceptio, maior vis spiritibus afferetur. eoq; his ilios iis videtur fieri ad homines accessus, quod pluribus maioribus que præsidii iam sunt armati. An forte aut contra Dæmones arma non suet corporis & sanguinis Christi sacramenta? aut leuia sunt?

6. Sæderem & horum sacramentorum frequentiorem usum his, qui molestiis spirituum ob peccata expositi tuerunt. propterea, quod Nequam quam sortiti sunt semel, viuentes vexandi prouinciam, difficulter relinquant: ut ob id necessarium videatur iisdem mortales armis sepius instrui; quibus maiori victoria spe contra hostes depugnatur. His rationibus contra infestantem spiritum pugnauit infelix mulier, cuius sequenti Capite mentionem faciemus.

7. Ad hæc virtutum studium postularem. Dignissimum hoc quoniam & nobis dictum illud apostoli, Rom 6 sicut exhibuitis membra vestra seruire immunditia & iniquitatem, ad iniquitatem præterea nunc exhibere

bete membr a vestra seruire iustitiae in sanctificationem. Sed & virtutum studium vel ementer exhorrescunt Dæmons. Credite mihi fratres, dicebat B. Antonius teste Athanasio in eius vita, pertimesci salanas piorum vigiles orationes, iejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, humilitatem, maxime autem ardorem amorem in Christum Dominum. Quid quod fortè hoc etiam sit necessarium? Cum immunis Spiritus exierit ab homine, inquit Dominus, Lucæ 11. perambulat per loca in aquosa, querens requiem. Et non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit scopis mundatam, & ornatam. Tunc radit, & assumit septem alios Spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi; & sunt nouissima hominum illi in peiora prioribus. Quid hac parabola Dominus significat ex duobus Diabolum accipere causam, ut reuertatur in domum, vnde expulsus est: videlicet, si aut inueniat vacuam, aut scopis mundatam. Vacua est domus eorum, qui contenti tantum sunt peccata deposuisse, & de studio virtutum solliciti non sunt. Scopis purgata eorum, qui exterius tantum virtutem colunt, & radicibus peccata non extirpant.

Hanc rationem contra Spiritus purgandi non frustra assumi, pluribus exemplis doceri posset: nos vno contenti sumus Catharinae Virginis & Viduae Suevicæ, filie S. Brigittæ. quæ cum Neapolitana, à quadam muliere, quæ nocturnas molestias graues à Dæmonio patiebatur, interrogaretur, quibus rationibus se ab iisdem expedire posset: primum fusalit puram peccatorum confessionem, aiebat enim ob peccata in confessione celata plerunque id genus illusiones accidere. deinde peregrinationem ad S. Crucis templum; quæ nudis pedibus, & depositio lineo inducio, cum humilitate, cito continuis diebus perageretur. tertio orationem dominicam aitq; salutationem Angelicam, coram Crucifixi imagine in eodem templo septies repetitam. Complet mulier iussa, & vexatio cessat. Vide Sursum Tomo 2. in eius vita, fol. 354.

Probarem quoque vehementer; cum sanctorum omnium, tum precipue proprij Angeli, cui quisque ab ortu nativitatis, commendatus est, inuocationem & que tutelam. Huius enim inter alia haud postremum hoc officium est, ut contra inferorum potestates mortalibus sit præsidio. Nec obstat quod, si naturæ vires attendas, quibusdam Dæmonibus hic sit interior. quoniam quod natura nō gauit; gratia supplet: qua sit, ut omnibus omnino malis, et iam potentissimis, minimos inter bonos sit superior. quemadmodum alicubi post B. Augustinum docet S. Thomas.

Quod si his machinis aduersaria potestas Dæmonum non frangitur, nec a molestando & infestando his rationibus prohibentur,

bentur, alijs armis tentandi essent; isdem, quibus honestos & probos homines, qui eorundem insultus sustinent, utiliter posse instrui confidimus. Et quæ illa? sequens Caput hæc explicabit.

## CAP. XCII.

*Explicantur rattones, quibus à molestia & persequentiū Dæmonum infestatione, liberari possunt homines probi.*

1.  Via ignorant mortales, adiōne an amore dignisint, quamdiu in corpore à Deo peregrinantur; idcirco etiam iis, quos conscientia sceleris non arguit, si quando persequentes Dæmones patiuntur, illis ante omnian rationibus ytendum existimarem, quibus diximus eos iuuari, qui ob sua delicta Dæmonum carnificinam patiuntur. Neque enim nocet, si in peccatorū numero nos habeamus, quoniā *beatus homo, qui semper est pauidus*: nocet autē plurimū, si cū Pharisæo nos pro iustis vētemus.
2. Addo quod, quamuis etiam esset probabile, nos in Dei esse gratia, & peccati mortalis nulla grauari mole; *hæc arma assumi possent*, quoniam non ob grauia solum, verū etiam ob Ieuia peccata, & persequentes & obdidentes Dæmones aliquando sustinent viuentes. Docet hoc clarè de Dæmoniacis, à nobis data Disputatio: ut idcirco, quemadmodum necesse est impios sua peccata deponere, si à Dæmonum infestationibus volunt esse liberi; ita necesse sit iustos, suos veniales relinquere defectus, atq; nœnos, propter quos molestias Dæmonum sustinent.
3. Quemadmodum illis igitur, ita his à peccatis otium, Confessiōnis sacramentum, vsum venerabilis Eucharistiæ, virtutum studiū, tutelaris Angeli inuocationem, atque alia his similia sedulo commendare. Quid si horum nihil iuuat? Ad alia præsidia confugiendum. quæ illa?
4. Primum est oratio communis Ecclesia, hoc nomine instituta. valet illa à priuato quocunq; suscepta plurimum: quantum valbit ab uniuersa susceppta Ecclesia? & suscepta ex fraterna. quæ summopere Deo placet, charitate suscepta verò, pro homine, ut creditur iusto? & quem maxima necessitas, cum summa humilitate coniuncta, ad communes preces implorandas cogit?
5. Deinde est usus Rerū consecratarū: in primis cereæ illius imaginis quam Agnum Dei dicimus; quam contra Dæmonū insultus valere & formā, qua consecratur, demonstrat, & his versibus confirmat Andreas Erusius:

116

Ille (Pontifex) preces recitat mira pietate referat.

Quas vecrius ritus formula certatenet.

Postulat in primis surati aspectus ut agni

Agnini ad cœlestem conitacor a leuet.

Vtq; salutis era memores vitaq; necisq;.

Criminis & vitij noxia vinclata terant.

Hoc tu ut insidias stygij acceptamina vincant,

Discipulas mundi, carnis & illecebras.

Aeterne & fugiant discrimina huncta salutis,

Et super a nunquam destituantur ope.

Sunt tertio Reliquia. Quos ille certis locis Dæmones prosciri  
bere possunt; omnibus non possent? An minor harum hoc, quam  
quocunq; alio loco vis atq; potestas? Si vero omnibus locis pro-  
scribunt; nonne omnibus locis liberum constituunt, & reliquunt  
hominem, qui alias vbiq; persequentes Dæmones patitur?

Postremum præsidium in exorcismis ponerem. Quod aliis ratio-  
nibus non potuit, id forte, hoc conficietur. Pro hoc mirabile exé-  
plum est, quod ex vita S. Bernardi hic ad longum placet ascribere:  
In muliere accidit, quæ miserrimè à Diabolo vexabatur, sed iusta  
sua culpa. Apparuit illi Diabolus in specie militis valde pulchri aspectu, &  
in amore suum intus suggestione latenti, extra locutione blandienti animu-  
eis fallaciter inclinavit. Cumq; assensum mulieris obtinuisse et, expatis bra-  
chijs, pedes eius supra unam manu suarum posuit. altera vero manu caput  
eius operuit sibi, eam huius fæderis signo dotauit. Illa quidem viru habebat  
strenuum militè, sed huius execrabilis commercij penitus ignoru. Abuteb tur  
ergo illa, etiam in eodem loco cubante marito, inuisibiliter, impurissimus  
ille adulter, & incredibili vexabat libidine. Sex annis tantum latuit malum,  
nec detectus mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo vero anno con-  
fusa est in seipsa. & expauit, tum propter colluisionem tam continua turpi-  
tudinis, tum propter timorem Dei, cuius iudicio singulis momentis temebat  
intervici & damnari. Confugit ad sacerdotes, & piaculum conficerat.  
Per agrat loca sancta, & Sanctorum implorat suffragia. sed nullae ei con-  
fesso, nulla oratio, nulla eleemosynarum largitio saffragatur. Quotti-  
die, vi prius & importunius à Dæmonie infestatur. Deniq; in publicum n-  
tum scelus effusum est. Quo audito & cognito maritus eius contubernia exe-  
catur. Interea ad locum prædictum Vir Dei Bernardus cum comitatu suo  
venerat: cuius ut audiuit aduentum infelix mulier. se ad pedes eius treme-  
bunda proiecit. Aperit ei lachrymis perfusa horribilem passionem, & ludi-  
cationem inueteratam & quod ei nihil profecissent, quacunque fecisset sibi  
& presbyteris imperata. Addit sibi ab oppressore suo aduentum eius prædictum

& minaciter interdicendum, ne ante eius veniret præseniam: quia nihil ei prodesset. & ipse recedente abbe, qui fuerat amator, crudelissimus eius fieret persecutor. Audiens hac Vir. Dei, blandis verbis consolatur mulierem, & de calo promitti auxilium præcepitq; ut die altera (tam enim nox instabat) confidens in Domino reuertatur. Reuersa mane, cum viro Dominib; blasphemias criminas, quas eadem nocte ab incubo suo audierat, retulisset. Nec cures, inquit vir. Dei, minas eius: sed tolle baculum hunc nostrum, & pone in lecto tuo: & si quid potest, agat. Egis mulier quod iussum fuerat, & recubans in lectu suo signo Crucis munita, iuxta se baculum ponit. Adebat ille continuo: sed nec ad consuetum opus, nec ad cubile ipsum præsumpsit accedere: tamen minatur acerrimè, quod discedente viro Dei, ipse in eius supplicia reuertetur. Instabat dies Dominicæ, & voluit vir Dei per edictum Episcopi pupulum in Ecclesiam accersiri. Cumq; ipsa die populus maximus ad Ecclesiam conuenisset: inter Missarum solennia, comitantibus Episcopis Canistro, Carnotensi, & Brittio Nannetensi, ipse ad ambonem concendit, & vt omnes, qui in Ecclesia erant, candelas accensas in manibus teneant, locuturus edit. Quod & ipse cum Episcopus & Clericis faciens, inauditos Diaboli ausus publice apperuit: & fornicatorem Spiritum, qui in tam horrenda iniquamenta, etiam contra naturam suam, exarserat, cum omnium fidelium, qui aderant, subscriptione anathematizat, & auctoritate Christi, tam ad illam, quam ad omnes mulieres deinceps interdictum accessum. Extinctis itaque sacramentalibus illis luminibus, extincta est deinceps tota virtus Diaboli: & mulieri post confessionem communicati, nunquam postea apparuit inimicus, sed irregressibiliter eliminatus aufugit. Hæc ex vita D. Bernardi.

32. Magna hæc virtus Exorcismi: sed cuius ex sanctitate viri Dei vires non parum auctæ fuerunt, quo nos vtimur, etiam magna virtus, sed non tanta, semper, quanta illius: quod in sanctitate, Exorcistæ nostri multum s. Bernardo cedant: quod fit, vt noster optatum effectum non semper consequatur. quod dum fit, persecutio Spirituum patienter sustinenda: & ferendum, quod emendari non potest, & ex necessitate facienda virtus.

## CAP. LXXXI.

Communis quædam ratio, qua à persequentiudam-natorum Spirituum molestia, tam probi, quam improbi liberanrur.

**D**e reter bipartitam iam duobus præcedentibus capitibus, explicatam rationem, qua improbitatem spirituum declinant tam mali, qui in peccati vindictam. Illam sustinent; quam pij, qui ob virtutis exercitium, alia quædam,

dæur, quæ utrisque ex quo seruit, cuius licet vires tantæ non sint, quantæ priorum; hic tamen quid possit, explicandum est.

**2.** *Tribus* videtur illa modis constare. *Vnus à loco* petitur. alter ab hominum *sociitate*; tertius à *lumine*. Certa quædam sunt loca (*templa* puto) quibus si; qui persequentes sustinent spiritus, inueniantur, ut plurimum sunt tuti. Sunt ut plurimum tuti, si *soli* non agant, sed societate gaudent aliorum. Denique si *tenebras* fugiant, & in luce versentur.

**3.** Quod dicimus, eorum confessione didicimus, qui molestantes spiritus sunt passi. Hi requiem se in locis Deo consecratis; in hominum *societate*; & clara luce habuisse, non semel professi sunt. Sed nec horum nobis testimonio destitutis, rationes defunt atque argumenta.

Declinant hi spiritus *templi*, quia morum & omnis pietatis sunt scholæ, quia *Imaginibus*; atq; *Reliquiis* instructi sunt: quia Christi venerabile corpus, sub speciebus panis continent: denique quia per consecrationem ab Episcopo factam omnis ipsis aditus ad illa est præclusus.

**4.** Et multitudinem declinant. ferè tentant & molesti sunt solitariis. plurima pro hac re sunt exempla. Clarissima verò duo; Euæ, primæ omnium parentis: atque Christi salvatoris: quorum hunc in deserto, illâ in paradiſo aggressi. Vtrumque cum solus ageret.

**5.** Fugiunt quoque lucem. quid mirum? principes sunt tenebrarum, à Deo, qui lucem inhabitat inaccessibilem, longè recesserunt. 6. *U*bi in operibus tenebrarum ad exteriōres inferni tenebras destinati.

**7.** Veruntamen, ut diximus, non tantæ vires harum machinarum, quantæ illarum, quarum superius mentionem fecimus. duobus modis hæ ab illis differre videntur. primò, quod ad tempus tantu libertatem à molestia tribuant. deinde, quod non ita, ut prioris illæ sint certæ.

**8.** In prioribus hoc propositum; ut spiritibus accessus prohibitus sit, atque ab omni molestia liberi sint viuentes. In his neque hoc est propositum; neq; si propositum esset; aut sperare, aut expectare possunt viuentes.

**9.** Fallunt quoque posteriores hi modi. Sunt spiritus quidam, qui etiam in luce meridiana sunt molesti. Sunt qui nec quantumuis magnam hominum verentur multitudinem. Sunt qui templis vix abstinent. Exempla omnium alias dedimus.

*Finis Tertiae partis de Infestis Locis.*

§ 3.

DISPV-